



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An ratione diei festi aliquid plus recipi possit pro Missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

(*assidue*) interpretatur, frequenter. At ex alia parte c. *Significatum de prabendis*, pro eodem accipitur quotidie & assidue. Melius igitur erit pendere, an census sit pinguis, an moderatus, an per similem censum in eo loco multæ, an paucæ Missæ celebrari solent; an sit Capellania, seu Beneficium, an metum legatum, his enim, & similibus consideratis illud à prudenti decernatur, quod verisimilius est Fundatoris fuisse voluntatem.

32. Quæres Quartò. Si Testator sic loquitur: *Sacerdos meus celebret per annum integrum*, nec addat aliud, obligabitur ne Sacerdos singulis diebus celebrare, an solum frequenter in toto anno? Respondeo. Si per illud, celebret per annum integrum, ponemur in dubio, an Testator voluerit Missas quotidianas per annum continuum, an vero solum frequenter; certè ad hoc secundum, quod est minus onus teneretur Sacerdos, quia ex Molina *trakt. 2. d. 198. §. Si res*, Sanch. in *Decal. lib. 4. cap. 14. num. 3.* habemus sufficere quod legatum dubium observetur secundum minus: at certè mihi ex ipso modo communi loquendi videtur illud, celebret per annum integrum sine dubio significare per annum integrum, nullo die dempto, atque adeo continuo.

33. Quæres Quintò. Testator disposuit, ut die primo Lunæ Mensis recitaretur Officium defunctorum in tali Ecclesia, celebrarentur ab eisdem Sacerdotibus centum Missæ, assignato pingui stipendio. Accidit, ut dicto die sive ex legitima Sacerdotum penuria, sive quia incidit dies festus sollemnis (quo casu potius esse anticipandum Officium, & Missas defunctorum, quam postponendas ut scilicet celerius adsit auxilium animarum rectè monet Fraxinellus de oblig. *Sac. sec. 3. præcept. 5. §. 6. num. 3.*) accidit, inquam, ut tali die non potuerit expleri Testatoris voluntas, poterunt alio die eas Missas, & officium celebrare Sacerdotes prædictæ Ecclesiæ, & si adhuc duret penuria Sacerdotum, celebrari continuatæ Missæ in frequentibus diebus, & sic lucrari prædictam pinguem elemosynam? Iuvat id scire, tum propter conscientiam: tum quia Hæredes, qui pecuniam debent, contendunt aliis Sacerdotibus tale Officium committere.

34. Respondeo, posse Sacerdotes, Ecclesiæ à Testatore designatos diebus sequentibus successive celebrare, & sic lucrari illud pingue stipendium. Ratio est, quia admittitur ferè ab omnibus ea doctrina: quod quando legatum aliquod pium non potest impleri in specie, impleatur modo magis simili, & conformi dispositioni Testatoris: Ita Sanch. *lib. 4. conc. cap. 2. dub. 6. num. 2.* ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de reform. & l. legatum. ff. de usu, & usufruct. legati*. Cum ergo in casu nostro magis conforme, & magis, ut ita dicam, vicinum menti Testatoris sit, ut Missæ ab iisdem, quibus in illo pingui stipendio voluit gratificari, celebrarentur, & in eodem Templo, solo Tempore mutato, quæ ab aliis in alio Templo, illud erit præstandum, non hoc.

Atque hæc de præsentis argumento dixisse sufficit, nam casus alios similes prudens Lector solvere ex se ipso poterit.

An ratione diei festi aliquid plus recipi possit pro Missa.

35. Dubitabis Quintò. An die festivo Sacerdoti liceat pro Missa aliquid plus, quam sit consuetum accipere.

Respondeo ante hoc Decretum licuisse. Ratio esse poterat, quia, licet Missæ stipendium non sit propriè pretium, ne incidamus in Simoniam, non est tamen dubium regulari proportionaliter debere ad illius normam: sicut igitur, nullis emere volentibus, rerum pretia decrescunt, crescunt, ementibus multis, ita quia die festivo multæ Missæ appeti ad commoditatem populi solent, mercede, ut ita dicam cariore, dignus

erit operarius Missæ.

Confirmatur primò, quia Mediolani debentur Sacerdotibus accipiendi die festivo duplicem solent die feriato. Ita in *Syn. Dic. Med. 3. leg. de iure Ab. tom. 2. disp. 5. quest. 9. num. 15.* Et Consuetudinem erat stipendium Missæ feriatae duobus dos ultra eandem cerari. Missæ autem viginti. Ita in *Syn. Cremon. apud Marchin. de ord. trakt. 3. num. 2.*

Confirmatur secundò; quia eandem facultatem probaverat Sacra Congregatio aliam à Bononiensi. *Sacr. disp. 4. q. ult. pun. 8. num. 13.* qui testatur se Congregationi interfuisse, idemque consulesse, tum in fundamentum, quia si licet augere pro Missa solenni, idem licebit pro Missa sollemniss.

Noto tamen hoc fundamentum nisi aliud infirmum esse: Missa enim sollemnis majori labore annexa, quam privata, ideo maiore mercede digna, id quod non est in Missa privata sollemniss.

36. Hæc ante Decretum. Quid post illud? *p. 2. trakt. 14. ref. 59.* docet opinionem prædictam, scilicet possit augeri stipendium Missæ, ratione diei festivi, damnari hoc decreto Sacra Congregatio Verum Marchinus de ord. *trakt. 3. p. 2. cap. 16. num. 1.* qui scripsit post hoc Decretum, absolute approbat eandem prædictam opinionem, videtur & merito putasse hoc Decretum sibi contrarium. Scio in hoc decreto prohiberi duplicatum stipendium pro una sed profecto accipiens plus pro Missa festiva, pro feriata, non accipit duplicatam mercedem, sed unam, & quidem iustam pro festiva: quod festum duplicatam pro feriata, sicuti recipiens plus, pro una, & festiva sollemniss, iustum recipit, quod esset excedens, injustum, pro privata.

37. Nihilominus temperanda est hæc sententia, post Decretum, tum ante. Missa enim diei festivi test à te duplicato stipendio exposci, vel quod applicationem dumtaxat, vel quod etiam ad officium. Si pro sola Applicatione, non potes aliquid percipere. Si pro Officiatura, potes. Ratio differunt, quia pro sola Applicatione, non video unde est magis possit stipendium; siquidem Applicatio diei festivæ, est semper eadem cum applicatione diei feriatae, quoad omnes circumstantias, quæ nunc in considerationem cadunt, quæ quidem Circumstantiæ satis diversæ, respectu Officiaturæ: quia hæc expressitur in festivis diebus, quam in feriatis, maiorem tunc commoditatem populi, majusque Ecclesiæ, & eius Rectoribus confert. Quamvis immerito Prælati stipendium maius, pro ipsa die festivo, quam Feria, ut vidimus supra, taxare solent.

38. Idem proportionaliter die cum Lezzan. *V. num. 23.* de Missa cantata, potes enim pro eius Officiatura plus accipere v. g. duplicatum, vel etiam triplicatum stipendium juxta mensuram laboris, non vero pro Applicatione, quia labor cantatæ est varius, & quædam major, at Applicatio est una, & eadem in cantata est in quacunque privata.

An aliquid ultra solitum stipendium accipi possit fructu ex opere operantis.

39. Hurtadus de Sacrifi. *Miss. disp. 3. diff. 8. fine. diff. 4. disp. 15.* sequens Agidius Coninch. de *Sacr. art. 1. dub. 10. num. 195.* docet celebrantem non tantum stipendium, applicare Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato, non; vero quoad fructum ex opere operantis: unde Sacerdotem non habere obligationem orationes, & alia, quæ in Missa fiunt, pro eodem, offerendi. Ratio est, inquit, quia datus est stipendium solum exigit illum fructum priorum, non